Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2221
Quelle:
Copyright:

tium: *Regula prima que ſpectat ad nobiles* &c. ut *col.* 538.

Fol. 261. *Incipit prologus Johannis de Gerſona olim Cancellarij paryſ. M. ſacre pagine venerandiſſimi.* Sic: *Penitemini et credite ewangelio. Marc. 1. Aſtrinxit me promiſſio nouiſſima* &c. Igitur in Opus bipartitum *de Theologia Myſtica ſpeculativa*, et *practica*, prout legitur T. III. *col.* 361. Adſcribam tamen Clauſulam noſtram: *Expliciunt conſiderationes ſiue libelli de miſtica theologia Venerabilis — edite ab eodem Anno domini MCCCC7^mo^ et recenſite ab eo ſive relecte et probate ſicut propria manu ſubſcripſit in exemplari quod ad carthuſiam miſit de ciuitate lugdunenſi Anno Domini MCCCC22°.* Quae ſi ita habent, fallit *Dupinius* in *Gerſonianis* edit. *cit.* praefixis L. III. §. 3. annum compoſitionis 1419. adſignando. Clauſula edit. *col.* 422. Codicem citat Anni 1679. Oppido vetuſtum!

Fol. 319. p. 2. *Incipit Prologus ejusdem venerabilis Johannis gerſon in tractatum de contractibus in quo captiuitatis humane eciam chriſtiane religionis deplangit miſerias et erumpnas preſertim illorum qui monachi dicuntur eo quod deo mancipati cogantur ſecularibus negocijs ſuperuacare.* Initium eſt: *Qui volunt diuites fieri incidunt in laqueum* &c. Tractatus ipſe tripartitus eſt ejusque *Pars* I. non *quadruplici*, ut Codex noſter, ſed *quintuplici*, ut habent Edita T. III. *col.* 165. *Quaternario* abſolvitur. E clauſula noſtra ſubpleo. Tractatum hunc ſcriptum fuiſſe *Lugduni* ad inſtantiam Domus *Majoris* Carthuſiae Priore *Gwilhelmo de Mota.*

Fol. 350. praemiſſo Indiculo *Sequitur tractatus de ſollicitudine eccleſiaſticorum Magiſtri Johannis de gerſonis cancellarij beate marie paryſ. ad fratres celeſtinos continens 68. particulas.* Prooemium incipit: *Nolite ſolliciti eſſe. Matth. 6. Luce 12. Jubet hoc ſupremus abbas noſter ihesus chriſtus* &c. ut T. II. *col.* 597. Integer.

Fol. 365. *Incipit tractatus Venerabilis doctoris Johannis gerſon — de oratione et ſuo valore continuatione et intentione ſub pluribus conſideracionibus traditus et conſcriptus ſub conſtanciensi concilio generali ſancte eccleſie Anno Domini MCCCC ſexto decimo.* Ejus initium: *Oportet ſemper orare et non deficere. Scripſit tulius accuratiſſime* &c. ut T. III. *col.* 247.

Fol. demum 379. *Incipit tractatus de cura curatorum ut videtur Magiſtri Johannis de gerſona Concellarij Paryſienſ.* Non dubitant Edita e *Codd. Victorin.* et *Colbertin.* T. II. *col.* 558. adduntque Titulo: *De Viſitatione Praelatorum.* Initium eſt: *Ad laudem dei et edificationem populi chriſtiani compilata eſt hec breuis et rudis compilacio tempore quo celebrabatur remis Prouinciale conſilium Anno Demini* MCCCCVIII. (ultima) *Aprilis* &c. Et interfuiſſe *Johannem* huic Synodo vel *Sermo*

pro-